

biguntur variis modis. Recipiuntur enim (1) *pinguedines & axungie*, quibus linimenti forma paratur; sed propter oleositatem, quæ salium virtutem deprimunt, infeliciores sequitur successus, quod cuti non tenaciter adhæreat. (2) *pulpa caricarum, passularum, mel simplex vel anacardinum, sapo fermentumque acre*; quorum ope pasta formatur & cataplasmatibus in modum imponitur. Fermentum necessarium est præ reliquis ideò, quod emplasticam virtute contineat calorem nostri corporis nativum, & ad medicamentum perfectius actuandum disponat, juxta *Fienum l. c.* (3) Præ omnibus tamen hodiè laudem merentur ex cantharidibus parata vesicantia cum *cerâ, pice, terebinthinâ, vel aliâ quadam resinâ, aut convenienti emplastro, aut ceratò* excepta, & in formam emplastri applicata. Milsò ergò fermentò veteri prærogativam hæc obtinent, quod præparata sic diutiùs asservari possint, cuti tenaciùs adhæreant, & dum hoc præstant, vesicam feliciùs attollant, & quod commodissimè unicuique parti & loco, deligationi aliàs minùs apto, applicari queant. Talismodi emplastra descripta videri possunt *Zvvelferiana in pharmacop. Aug. Riveriana in praxi medicâ, & Mynsichtiana.*

Proportio ingredientium & excipientium modò augeri, modò minui potest, ita enim vis caustica plus minùsve intenditur, unde alia fortiora, alia mitiora existunt. Si *mitiùs* desideratur, excipientis dosis augenda; imò cum adhuc debiliùs expetitur, *euphorbium* aut *sinapi* locò cantharidum recipitur. *Fortius* paratur, cum cantharidum dosis augetur, excipientis verò minuitur.

Ne autem cantharides hunc in finem in emplastris vel cataplasmatibus adplicatæ molestias generent, addi à plerisque solet *semen ammeos*, & à nonnullis *cardamomi*  $\text{3j}$  corrigentis loco.

*Acetum* alii addunt, *oxymel*, & *acetum scilliticum*, tum ad juvandum, tum ad corrigendum. Prius ut actionem vesicantium promoveant, & ut eò citius ad intimiora deaueantur; posterius, ut acrimonia & vis maligna cantharidum coërceatur & corrigatur.

*Verùm*, acetum hoc in casu recentiores parvi faciunt, cum eò ipsò operatio potiùs retardetur, quàm promoveatur. Experimento manifestissimo constat, quod acetum & quæcunque acida figant salia volatilia, eorumque acrimoniam infringant, cum tamen in sa-

lel vo-